



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 4. De Domino Scalæ innixo. Quo declaratur ejusdem prærogativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

ierit. Denique merebitur ab ipso Sponso suo au-
 dire, Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis Cant. 7:1.
 tuis filia Principis: specialis filia Dei, Principis &
 Domini Regum univèrsæ terræ, erit anima Virgi-
 nalis, cujus gressus commendantur in calceamen-
 tis. Per calceamenta autem accipimus exempla
 mortuorum, quia calceamenta fiunt de mortuis
 animalibus. Pulchri igitur sunt gressus Virginum
 in calceamentis, cùm directè sequuntur per viam
 virtutum omnium Agnum Christum pro ipsis
 mortuum, pro Agno paratæ etiam ipsæ usque ad
 mortem & per mortem, si necesse est, sequi
 Agnum, in omni factò munientes pedes affectuum
 suorum exemplis optimi Agni Jesu Christi adver-
 sus Serpentem insidiantem calcaneo virginali, cùm
 caput Serpentis virginali pede ipsius Agni adjutorio
 conculcatur.

§. I V.

De Domino Scalæ innixo.

Quarta hujus Scalæ circumstantia est, quòd ei
 Dominus inniteretur: *Vidit Dominum innixum* Gen. 28:13.
 Scalæ. Cujus consideratio duplex apud Interpretes:
 una, quàm docet Alcazar, quòd ad imos Scalæ gra- in c. 2.
 dus constiterit, ut eam teneret & firmaret, sed quæ Apoc.
 verisimilitudinem non habet. Altera & communior,
 quòd is ejus summitati incumberet, quare pro eo
 quòd habet nostra versio Dominum Scalæ innixum
 70. dicunt superfirmatum: adeoque Virginitatis
 prærogativam denotat, quâ ea gaudet præ statu Con-
 jugali: facillimum nempe in ea dari cum Domino

1 Cor. 7.

vers. 8.

vers. 34.

et 35.

congressum, eumque quasi vacare semper ad illarum alloquia, accessumque præstolari: ut cum Jacob, hinc tuis oculis videas, quo veluti præcipuo suo fundamento utebatur Apostolus continentiam & Virginitatem persuasurus, ait namque præter complura alia (cùm jam ante scripsisset: *Dico non nuptis & viduis bonum est illis si sic permaneant sicut & ego*) mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Cogitat itaque quæ Domini sunt, utpote tempus habens & otium: Cogitat, inquam, absque ulla interturbatione, ut Deo vacet & serviat, eum laudet & diligat, ejus voluntatem adimpleat, non causâ mariti distracta vel subjectione, sed vocatione sua curis negotiorum secularium expedita.

p. 2. v. 7.

3: 5.

8: 4.

Cant. 2. c.

v. 16, 17.

Ecce Virgines ex ore Apostoli, quod oculis suis mysticè vidit Patriarcha Jacob: idque si PP. SS. testimoniis uberiùs vellem probare, non secus agerem ac si in plena meridie fulgentem solem vobis ostenderem, utpote quæ veritatem hanc ipsâ experientiâ agnoscitis: vos namque concernit quod tribus diversis locis in Canticis dicitur: *Adjuro vos filia Jerusalem, ne suscitatis, neque evigilare faciat is dilectam, quoad usque ipsa velit.* Ideoque de hac vestra prærogativa non est, quod vos instruam, sufficit si ad ejus usum exstimulem: Itaque Sponsam æmulemini: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbrae.* „ Itane, (post
lon-

„ longum discursum ait D. Bernardus) huic intenta Serm. 68.
in Cant.
 „ est illa majestas, cui gubernatio pariter & admini-
 „ stratio universitatis incumbit? & cura seculorum
 „ ad sola transfertur negotia, imò otia amoris & de-
 „ siderii hujus? ita planè: providentiam cæteris crea-
 „ turis non negamus, curam Sponsa vendicat sibi:
 „ sed & propterea utrumque ponit, dicens: Ille mihi
 „ & ego illi: Ille mihi, quia benignus & misericors
 „ est, ego illi, quia non sum ingrata: ille mihi gra-
 „ tiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia: ille meæ
 „ liberationi, ego illius honori: ille saluti meæ, ego
 „ illius voluntati: ille mihi & non alteri, quoniam
 „ una sum columba ejus, ego illi & non alteri, nec
 „ enim audio vocem alienorum. Hactenus Doctor
 mellifluus. Cujus & hæc Regula infallibilis: *Amor* Serm. 69.
in Cant.
Cant. 7:10.
Dei amorem animæ parit. Idem ex ead. habes: Ego
dilecto meo & ad me conversio ejus. Rationem allegat
 S. Basilii: „ Si sollicita est, quomodo placeat Do- L. de Vir-
ginis.
 „ mino, scire profectò debet, quia & ipse, in nullo
 „ licèt obnoxius, quomodo sponsæ suæ placeat, cu-
 „ rat: nam si mortalem virum vitæ suæ præsidem
 „ atque custodem nacta mulier, suæ circa illum curæ
 „ & obsequii præmium, ipsius in omnibus guber-
 „ naculum & regimen vicissim recipit, quantò ma-
 „ gis quæ Deo gubernationem sui totâ fide permi-
 „ sit, & cum illo simul vivere semper elegit, copio-
 „ sissima suæ circa illum curæ præmia, ipso sibi per
 „ omnia prospiciente, suscipiet? Idque parentibus
 adeo erat incalcatum, ut eodem sancto Antistite re- Epist. 1.
Canonica
ad Amphilo-
loch. cap.
18.
 ferente etiam infantes Deo consecrandas offerrent,
 licèt cum repulsâ: „ Illud à nobis confiteri est ne-
 „ cessarium, quod Virgo nominatur, quæ se suâ
 spon-

„ sponte Domino obtulit, & matrimonio renuntia-
 „ vit, & vitam in sanctificatione protulit: professio-
 „ nes autem ab eo tempore judicamus, quo ætas ra-
 „ tionis complementum habuerit: non enim pueri-
 „ les voces omnino in his esse ratas existimare oportet,
 „ sed eam quæ supra 16. vel 17. annos nata fuerit
 „ rationisque compos & diu examinata probata-
 „ que perseveraverit, & ut admittatur, precibus
 „ contendit: tum oportet in sacrarum Virginum ca-
 „ talogum referri, ejusque confessionem probare, &
 „ illius infirmationem inexorabiliter punire. Quæ
 „ ideo refero, ut quæ olim Virginum fuerit existima-
 „ tio apud parentes intelligatis, quam & ex D. Am-
 „ bro시오 licet cognoscere ad Virginem lapsam, quam
 „ 4. alloquens ait: „ Non istam confusionem de te tuus
 „ „ exspectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam
 „ „ computabat: non hunc luctum & has lachrymas
 „ „ ex te sibi nasci tua crediderat mater, quæ partus sui
 „ „ gemitum per tuam virginitatem consolabatur: si
 „ „ fuisses communi sorte defuncta, flectent te modice
 „ „ cum propter desiderium parentes, sed exultassent
 „ „ granditer, quia immaculatam præmiserant Virgi-
 „ „ nem, hostiam vivam, Domino propitiatricem videlicet
 „ „ delictorum suorum. Idque idem Præsul iisdem
 „ „ inculcarat olim. „ Audistis (inquiens) parentes qui-
 „ „ bus erudire virtutibus, quibus instituere discipli-
 „ „ nis filias debeatis, ut habere possitis, quarum me-
 „ „ ritis vestra delicta redimantur: Virgo Dei donum
 „ „ est, munus parentum, sacerdotium castitatis: Vir-
 „ „ go matris hostia est, cujus quotidiano sacrificio
 „ „ vis divina placatur. Ne quis autem hæc de Monia-
 „ „ libus scripta excipiat, subnectitur: „ Virgo indivi-
 „ duum

L. 1. de
 Virginit.

„dum pignus parentum, quæ non dote sollicitet,
 „non emigratione destituat, non offendat injuria.
 Nonne suum hoc habet fundamentum? quis nam-
 que dubitaverit eas permulta posse, quæ in brachiis
 Sponsi cœlestis conquiescunt qui ad amplexus pa-
 ratus Scalæ huic mysticæ innititur. Quæ asseverant
 gloriabundæ: *Læva ejus sub capite meo & dextra il-
 lius amplexabitur me.* At hæc de Virginibus dico, ut
 & vos intelligitis, quæ verè Virgines sunt, *non faci-
 entes animam*, juxta D. Fulgentii phrasin Epist. 3. c.
 14. *sub Virginitatis nomine in concupiscentiis dormi-
 tare*: Quæ cogitant quæ Domini sunt, quomodo
 placeant Deo, cui ex S. Basilio velle placere, nihil
 „est aliud, quam laudabilem seipsam, ac beatam, &
 „ei similem pro viribus facere. Quod ut & vos fa-
 ciatis unicè commendo cum S. Augustino: Vos
 „Virgines, genus electum, & in electis electius vir-
 „ginei chori: ergone hunc quantò ejus donis orna-
 „tiores estis, tantò minus amabitis? Agite quod ait A-
 „postolus (monet idem doctor alibi) quoniã non co-
 „gitatis ea quæ sunt mundi, quomodo placeatis ma-
 „ritis, cogitate quæ Dei sunt, quomodo illi in omni-
 „bus placeatis, ut non uterum foetibus, sed animum
 „foecundum possitis habere virtutibus.

Cant. 2: 6.

8: 34

L. de Vir-
ginit.de Virginit.
c. 40.Serm. 60.
de diversis.

§. V.

De Angelis in Scala.

Quinta circumstantia est, quòd *in Scala Angeli*
 videantur, cujus triplicem ex S. S. P. P. colligo
 considerationem:

Prima